

13^o l. 14

Q uum ihelpe

o his trar tiber

si

unm ihelpe

si

num: Exoar.

que unumdie

O s spiritus

o alhuic po

o huc omis

o huc unum

o huc ipe

si

us mag

in cornicam ihelpeior n. vi. unum

si si si si si

si si si si si

si si si si si si si si si si

omnes sic mahu unu pulverem

si *si* *si* *si* *si* *si* *si* *si* *si* *si*

nt unu dam: **I**ohann

om tempus procreandi unum die

oie germinu munito ois cas equa

oie si in puce equis est mhu

oie tropis in mhu pellis lypidus.

oie oratoris ut noxam eius scan: P m

oie grediens plantam frs teneat

oie maru, videre apollonius

oie agnitus est yhar: quid

18

Mani die leryhu 3 Brücke =

(= 44) 1) Sacro barto, Johannes de

Sphaericon opus certum.

[Leipzig: bei Walter des Capellans, 1485-1489]

Hain X 74 295

BMB. III, S. 636.

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

(= 45) 2) Vegius, Maſſeris (nicht: Vitorius?)

De veritate et philoſophie
Leipzig: Konrad Kachelofen.

Hain X 14942

Hain X 15929, BMB III S. 632

BMB

III,

S. 623

3. Tibullius Alſtinus:

Ec. 8

(= 46)

Elegia de amore et lani Eximio Messalae

Leipzig: Konrad Kachelofen. nicht nach 44 S 27

14
DISPUTATIO
DE INVOCATIONE, HABITA IAM OLIM
A DOMINO PRÆCEPTORE,
PHILIPPO MELANCHTHONE,
Anno M. D. XLIX,

IAM VERO ITERATA IN
GYMNASIO SERVESTANO ILLUSTRIS,
à WOLFGANGO AMLINGO, Eccle-
sia illius pastore.

Respondente Daniele Syluio, Seruestano.
VI. Non. Maii. hora VII.



ANNO M. D. LXXXIX.

Seruestæ Bonaventuræ Faber excudebat

14

DE INVOCATIO
VE HABITAM OLIM
A DOMINO RECEPTOR
IN PRO MLANCHTHONA
C. XXXIX

AM VERO ITERTUM IN
GENITIVO SPECTANDI LITTE
STOTEGANO CAMILINO R. R.

Reponitur Daniel Syrio Scaudano
V. N. M. L. A. V. I. A.

ANNO M. D. LXXXIX
Georg. Banningeri Faber excudit



Lectori pio & candido salutem.



Heses hasce, ex quarta parte operum reuerendi & optime
de Ecclesia, totaq; Christiana Repub. meriti viri, quem satis
nomen commendat suum, Philippi Melancthonis, aucto-
re & ei descriptas, retinimus tres precipue ob causas.

1. Ut publicè testatum faceremus, nobis aliud nihil pro-
positum esse, quàm fidei opera & studio, sine contentione & ostentatione,
ad posteros propagare puram Ecclesie doctrinam, qualem ex viuis sacre
scripturae, non ex cecae rationis lacunis haustam, in scriptis communis præ-
ceptoris illius nostri contineri ac proponi minimè dubitamus: immo cum
Poëta etiam hinc exclamamus: Hæ casti maneant in religione nepotes.
2. Ut hac ipsa ratione iuuentutem scholasticam, nostræ fidei commif-
sam, à centonibus nouorum authorum, in quibus pleriq; perlustrandis &
euoluendis non tantùm sine fructu, sed cum magno etiam progressus me-
lioris impedimento, ne iam de iactura temporis dicamus, cuius ut irrecu-
perabile, ita omnium est τιμιώτατον ἀνάλωμα, consenscunt, auocare-
mus, & ad rectius collocandas bonas horas quasi inuitaremus. Nobis enim
hoc omninò persuasum est, post sacri codicis libros nullius authoris lucubra-
tiones plus iuuare christiana pietatis studiosos, quàm si nocturna (ut Poë-
te verbis utamur) manu versent, versentq; diurna, scripta Melancthonis,
in quatuor Tomos digesta, quorum summam comprehendit liber corporis
doctrinae Christiana, à quo qui dissentit, necesse est, ut vel cum ratione insa-
niat, & de pietatis fundamento certitudinem habeat nullã, vel si scientiam
aliquam Theologiae sibi vendicet, effreni impudentia, quæ sancta & vera
sunt, carpat: quorum quidem malè feriaturum hominum in hoc effecti mun-
di delirio heu quanta est colluies. Sunt autem vndecim ornãmẽta doctrinae
Melancthonis præcipua, propter quæ non veremur affirmare, illum in
pietatis studio non parum profecisse, cui scrip̃ta Melancthonis valde pla-
ceant.

Quænam inquis sunt ista?

1. Docendi methodus appositissima.
2. Oratio tersa, phrasumq; selectissimarum quasi ὑποτέτωσις.
3. Perspicuitas iucundissima, de qua non absurdè Oratij illud aliquis vsur-
pauerit: Ut sibi quiuis speret idem, sudet multum, frustra q; labor et, ausus
idem.
4. Regula succineta.

A. j

5. Definitiones

8. Definitiones sapientissima.
9. Conclusiones rotunda & immota.
7. Distinctiones lucidissima, omni λεπτοτομία exclusā.
8. Breuitas admirabilis.
9. Grauissimos scripturae locos explicandi dexteritas singularis.
10. Coharentia equabilis, & ne leuissima quidem, siue in contexendo toto corpore, siue quocunq; in membro solide explicando, contradictionis implicationi obnoxia.
11. Accommodatio deniq; seu applicatio singulorum pietatis Christiana capitum εις οικοδομην, hoc est, ad praxin conscientiae, cultuum, ac morū, ut dulcissima, ita prudentissima, καὶ ἀρετῶν κορυφᾶς (ut venuste Pindarus loquitur) ἀπὸ πασῶν δρέωσσα, χωρὶς κομψότητος καὶ φιλονεικίας: ut non sine graui iudicio quidam dixerit: Melanchthoniam Theologiam reddere homines mites: τὴν δὲ βλακικὴν feroces, id est, fulminatores, & anathemata crepantes mera, quod est ἀνοσιῶς θεολογεῖν, εις καθάρσεις, καὶ οὐκ εις οικοδομην, contra Apostolum, 2. Cor. 13.

His vndecim ornamentis, quae in lucubrationibus ceterorum scriptorum, quorum nullius laudi & existimationi detractum volumus quippiam, haudquaquam ut in Melanchthonijs coniuncta sunt, si illud adijcias, quod Melanchthone cum nemine haecenus fuit commune, ecquid amplius dubitaueris, secundum Melanchthonis scriptis à sacro codice locum tribuere? Id verò cuiusmodi sit, res ipsa demonstrat, si paulò attentius nostrorum temporum certamina inspiciamus. Creuerunt enim in immensum superioribus conflictibus refutationū volumina, nullam aliam ob causā, quā quòd Melanchthone destituimur; cuius nō illa, quae vulgi doctarū est, disputandi ratio erat, ut sophismatis antagonistarum, ὡς τὰ ἐσκαμμένα, nunc huc, nunc illuc se trahi pateretur scilicet (vnde perpetua ista hodie, pro dolor, conflictationū vicissitudo extitit) sed Antagonistis ponere vel figere potius metas & limites solebat, intra quos velut constricti (ut à M. Popi. legato Ro. Antiochus constringebatur) respondere cogerentur. Ceterum aduersus Φιλιππομασίνας (qui nisi hac vitula arassent, quid tenerent?) hoc saltem hīc addere libet: idem eis vsu venire, quod accidit calumniatoribus Aristotelis, de quibus Aristocles dixit: πάντες δὲ σοφιστῶν καὶ ἐριστικοῖ, ὧν καὶ τὰ ὀνόματα, καὶ τὰ βιβλία τέθηκε τῶν σωμάτων μάλλον. Id est, Omnes erant Sophistae, & contentionis quāo veritatis cupidiores, quorum nomina & scripta citius, quā corpora interierunt ac computruerunt.

Postremo

Postremò institutibus hanc etiam nostri rationem habuimus, ut imprimis
 hac disputatione scholastica explicaretur thesis illa 27. ex qua in refutatio-
 ne portenti Vbiquisici (cuius patroni, dùm probationum nervis destituti
 in viscera sæviunt mutua, quid agunt aliud, quàm ut charactere assumto
 bestie, stabiliant idola & parricidia monachorum?) ecclesia nostræ inter
 quadraginta duo vicesimum octauum illud longè grauissimū argumentum
 extruxerūt, de quo in mutua sententiarū collatione vberius fortasse dicendū
 occasio se offeret. Quod igitur restat, omnes veritatis inquisitionē cum serio
 pacis & cōcordiæ infucata studio piè coniungētes rogamus, ne (quod male-
 uolis in more positū est) operas nostras scholasticas in suspensionem rapiant,
 vel calurnientur, sed potius ζύμφορον ἀνατίματοντες προσευχῆν
 (ut Basilius loquitur) vota nobiscum ac preces coniungant, ut suo quisq; lo-
 co studeamus illustrare & propagare veritatis Christianæ doctrinam, &
 nostris etiam (quantum quidem hæc infirmitas capit) exemplo prælucea-
 mus vitæ inculpatae, Deumq; glorificemus ὅσια καὶ φρονούντες, καὶ λέ-
 γοντες, καὶ πράττοντες. Amen.



A 3

Luc.

LVC. XIIIX.

Δεί πάντοτε προσεύχεσθαι, καὶ μὴ ἐκκαθεῖν.

Semper orate, & non defatigamini.

I.

Necessesse est extare in Ecclesia doctrinam de Inuocatione incorruptam, & conspici discrimen inter inuocationem Ethnicam, & aliam Ecclesiae propriam.

II.

Discrimina autem duo sunt maximè illustria, alterum de essentia, alterum de voluntate.

Primum errant Ethnici, Mahometistæ, & alii multi hostes Euangelii de essentia Dei, nec alloquuntur verum Deum. Quanquam autem dicunt sapientes Ethnici & Turci, vnicum se conditorem, gubernatorem huius vniuersi opificii mundi alloqui; tamen negant hunc esse conditorem, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, negant esse Filium vllum æterni Patris, negant esse Spiritum sanctum. Denique non inuocant hunc verum Deum, qui se patefecit misso filio, sed audacissimè in suis mentibus pingunt idolum Dei, qualem ipsi volunt. Et diuersissima simulacra pingunt Plato, Stoici, Mahomet, hæretici, & alii impii.

III.

At Ecclesia, discipula Dei, audit ex ipso Deo, qui sit verè Deus, & qualis sit, accipit doctrinam & promissiones ab ipso manifestis testimoniis, resuscitatione mortuorum, & aliis miraculis traditas, & hunc verum Deum alloquitur, ad hunc dirigit inuocationem, qualem ipse fieri iussit, inuocat hunc verum Deum, qui se patefecit misso Filio, conditorem omnium rerum, colligentem

gentem sibi Ecclesiam æternam ex genere humano editis promissionibus, scilicet æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, & Iesum Christum filium λόγον καὶ εἰκόνα ἀϊούτου Πατρὸς, & Spiritum sanctum.

IV.

Deinde Ethnici, Mahometistæ, & omnes ignari Evangelii errant de voluntate Dei. Accedunt ad Deum sine Mediatore, sine promissione, & manent in dubitatione, an recipiantur & an exaudiantur. Talis precatio contumeliosa est aduersus Deum & Mediatorem.

V.

E contrario Ecclesia supplex intuetur Mediatorem & promissionem, & agit gratias Deo, quod immensa bonitate Mediatorem nobis constituit, & promissiones tradidit, & iureiurando adfirmat, se certò nos recipere. Inuocat igitur fiduciã Mediatoris, sicut ipse docuit, inquit: Amen, amen dico vobis, quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Iohan. 16.

VI.

His discrimenibus initio consideratis, in omni precatioe has quinque commonefactiones nobis proponamus.

VII.

Prima sit: Cogites, quem velis alloqui, quod sit illud numen, quod alloqueris, & quomodo se patefecerit, nec vagari mentem sinas, vt Hecuba in Tragedia dicit: O Iupiter, quicquid es, siue mens, siue ἀνάγκη φύσεως. Taxantur hæc dubitationes in dicto Christi: Vos adoratis quod nescitis. Iohan. 4.

VIII.

Prophetæ & alii sancti in populo discernebant suam inuocationem ab Ethnica his modis: Addebant nomini Dei aliud proprium IEHOVA. Interdum addebant, Deus Abraham, Deus patrum nostrorum. Et in primo

primo præcepto Deus ipse signū addit, quo vult agnosci & discerni: Ego sum Dominus, qui eduxi vos ex Ægypto, &c. Sic vult agnosci Deus, proposito testimonio, in quo eius præsentia agnoscatur.

IX.

Et patribus erat Filius propositus in promissione, & nobis iam exhibitus est. Hunc intueamur, resuscitantem mortuos, & agnoscamus simul Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Et cum simul inuocamus tres personas, tamen agnoscamus, Filium esse Mediatorem, & Sacerdotem pro nobis interpellantem. Hæc non sunt pugnantia: Alloqueris Filium cum Patre & Spiritu sancto, vt socium consilii diuinitatis, socium creationis, & verè Deum; & tamen propter hunc, vt Mediatorem, recipi te oras & credis, secundum illud: Nemo venit ad Patrem, nisi per Filium. Item: Hæc est vita æterna, vt agnoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum. Iohan. 17.

X.

Non frustra facta est patefactio in Baptismo Filii. Itaq; velut spectator baptismi illius, stans in illa ipsa ripa Iordanis, in cœtu Angelorum & multorum piorum, qui adfuerunt, vocem diuinam cogitato discernentem personas: Hic est Filius meus dilectus, in quo placatus sum. Item: vidit Baptista Spiritum sanctum descendentem specie columbæ. Matth. 3. Ioan. 1.

XI.

Immo & tuum Baptismum cogitato. In tuo enim Baptismo facta est talis inuocatio, quæ hunc verū Deum discernit ab omnibus commentitijs numinibus. Ibidem foedus factum est, vt hæc vera diuinitas te reciperet, & tu agnosceres & inuocares hunc Deum, qui est æternus Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor
cum

cum Filio & Spiritu sancto, ac recipit te propter Filium, & copulat te sibi Spiritu suo sancto.

XII.

Simul etiam cogites, qualis sit diuinitas, sapiens nimirum, verax, bona, benefica, iusta, casta, liberrima, omnipotens, iudicans. Et discrimina personarum consideres, & testimonia amoris DEI erga nos. PATER, FILIVS, ET SPIRITVS SANCTVS ita condiderunt hominem, vt imaginem sui in nos transfuderint; verè igitur dilexit hoc opus diuinitas conditrix. Filii amor lucet in deprecatione & poena pro nobis suscepta. Spiritus sancti amorem fateri necesse est, cum in corde tuo, velut in domicilio & templo suo habitare velit, vt te regat & flammam inuocationis exuscitet.

XIII.

Est autem Filius imago æterni Patris, cogitatione genita, & assumpsit humanam naturam in virgine Maria, vt pro nobis victima fieret. Hunc nobis ostensum vult nos æternus Pater intueri & audire; & scire, hanc veram esse diuinitatem, quæ misit hanc victimam.

XIV.

Spiritus sanctus est agitator procedens ab æterno Patre, & à Filio, & mittitur in corda credentium, vt lucem veræ agnitionis in mente, & veros motus in voluntate & corde accendat. Sicut inquit Dominus; Et alium Paracletum dabit vobis. Iohan. 16.

XV.

Hæ tres personæ sunt *ὁμοούσιοι*, nec sunt plures, nec pauciores personæ diuinitatis.

XVI.

Et persona significat in Ecclesia *ἑνωσιν* intelligentem, indiuiduam, & incommunicabilem; seu, vt aliàs loquimur, persona est subsistens, viuum, indiuidu-

B

um,

um, intelligens, incommunicabile, non sustentatum
ab alio: Græcè ἰφισάμενον.

XVII.

Veræ sunt propositiones: Filius est de essentia
Patris, & Filius est essentia genita. Nec existimandum
est, illam coæternam imaginem Patris esse duas res,
imaginem & essentiam, sed ipsa essentialis imago geni-
ta est Filius, sicut in Symbolo dicitur: Deum de Deo,
lumen de lumine.

XIX.

Secunda commonefactio: Postquam cogitasti,
quid inuoces, & quem & ubi patefactum alloquaris,
in illis ipsis patefactionibus etiam cogitandum est,
quomodo velit coli Deus, & an & cur velit exaudire.
Mandatum igitur de inuocatione seuerissimum tibi
proponito: Item promissiones.

XIX.

Tertia commonefactio: Cum semper obstrepat
accedentibus ad Deum indignitas nostra, necesse est in
omni prece doctrinam poenitentiae & consolatio-
nem cogitari. Cor expauescat agnitione iudicii & iræ
Dei aduersus peccata, & rursus erigatur ardenti fide
ac fiducia Mediatoris. Et statuas, te certò recipi gratis
propter Filium Dei, non propter propriam dignitatem, aut
tuas virtutes, aut tuas actiones. Nec lucta hæc sine ve-
ris gemitibus fieri potest. Necesse est enim adferri ad
Deum conuersionem & fidem. Nec valet inuocatio reti-
nentis propositum violandi mandatum Dei contra con-
scientiam. De his dicitur: Peccatores Deus non exau-
dit. Iohan. 9.

XX.

Sed in conuersione primum & petito remissionem,
& statuas certò tibi eam donari, secundum illud: Iustus
fide sua viuet. Item: Viuo ego, dicit Dominus, nolo
mortem

mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Scias autem, certò mandatum Dei esse, vt promissioni gratiæ credas, quæ quidem iuramento & sanguine Filii confirmata est. Deinde fides etiam statuat, exaudiri petitionem bonorum corporalium, & nunquam irritam esse. Etiam si enim corporalia bona non eodem modo dantur, & Deus vult Ecclesiam cruci subiectam esse; non est tamen irrita petitio, sed vel liberationem, vel mitigationem impetrat; Secundum illa dicta; Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. Psal. 145. Et Matth. 21. Omnia quæ petitis in oratione, credentes accipietis.

XXI.

Credentes inquit. Fides autem nominatim petit & accipit reconciliationem. Sed de bonis corporalibus petit in genere mitigationem: quia scit, Ecclesiam oportere subiectam esse cruci.

XXII.

Sit autem & spes adiuncta fidei, qua expectemus vel liberationem, vel mitigationem in hac vita, etiam cum moræ longitudo languescit animum. Abacuc 2. Si moram fecerit, expecta eum: quia veniens veniet, & non tardabit. Item, Iudith. 8. Qui estis vos, qui tentatis Dominum; constituistis Deo tempus.

XXIII.

Etsi non liberamur in hac vita vt vellemus; tamen retineri oportet fidem, dilectionem, & spem vitæ æternæ, secundum dictum Iob. cap. 13. Etiam si occidet me; tamen sperabo in eum. Veruntamen meas vias coram eo arguam, & ipse erit Saluator meus; nec intrabit coram eo vllus hypocrita.

Quarta commonefactio est, vt res petendas cogitemus, scilicet bona necessaria vniuersæ Ecclesiæ, & nobis priuatim, & nostris familiis, spiritualia & corporalia. Quia Deus etiam bona corporalia promisit, & vult à se peti propter has quatuor causas: quarum prima est, vt agnoscamus, non dominari casum in his bonis, sed hæc etiam consilio Dei distribui (vt in Psalmo dicitur: vt alat eos in fame) & Deum eorum conditorem esse.

Secunda, vt fides exerceatur petitione horum bonorum.

Tertia, vt promissiones corporalium bonorum sint commonefactiones de promissione gratiæ. Seruantur enim corpora, familiæ, politiæ, vt colligatur æterna Ecclesia. Et in petitione corporalium bonorum semper necesse est prælucere fidem, quæ accipit remissionem.

Quarta: Hæ ipsæ promissiones corporalium bonorum testantur, Deum in hac vita seruaturum esse Ecclesiam. Itaque non solum nostra causa petantur, sed & propter communem Ecclesiæ necessitatem.

Sit igitur inuocatio non otiosa battologia, sed commonefacti in gentibus miseris nostris petamus res necessarias, & agamus gratias Deo pro beneficiis, sicut Paulus hæc nomina coniungit, *δέσεις, προσευχάς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας*. Quæ opinor ita rectè discerni: Sunt *δέσεις* deprecationes, vt mala auertantur: *προσευχαι* vota, vt bona dentur: *ἐντεύξεις* interpellationes pro aliis: *εὐχαριστία* gratiarum actio, quæ est confessio Deo debita, qua testaris, te non casu, non solis humanis consiliis aut præsiidiis seruatum esse, sed Deum verè fuisse autorem & gubernatorem beneficii, & hac commemoratione

tionem ipsum celebras, & te ipsum doces, valde multa accidere homini inextricabilia humano consilio, in quibus presentiam Dei & mirandas liberationes experimur, secundum illud: Cum nescimus, quid agendum sit, ad te Deus oculi nostri tolluntur: Ad te & alios ad timorem, ad fidem, & celebrandum Deum inuitas.

XXVI.

Quinta commonefactio est, ne honos Deo proprie conueniens tribuatur vlli rei, quæ non est Deus: Secundum illud: Non habebis Deos alienos. Item: Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli seruias. Tribuit autem inuocatio absentis omnipotentiam iis, qui inuocantur. Quare homines mortui nequaquam sunt inuocandi.

XXVII.

Memini reuerendum dominum Lutherum dicere: Si nulla alia causa esset execrandi inuocationem mortuorum, hanc vnam satis magnam & grauem causam esse, cur piæ mentes valde odisse & detestari eum ritum debeant, quod obscurauit argumentum de Messia diuinitate sæpe repetitum in Prophetis. Cum enim iubent Messiam inuocare, significant omnipotentem & natura Deum esse.

XXVIII.

Horrenda scelera sunt, pugnantia cum primo præcepto, fingere numina, quæ non sunt: vel habere Epicureas opiniones: vel in vero cultu externo veri Dei, vt in inuocatione veri Dei, retinere diffidentiam: Quid petis, cum Deus te non recipiat, te non exaudiat? Vel fingere cultus nouos, etiam si intentio est, velle vere Deo tales honores tribuere. Et maior impietas est, cum additur persuasio de merito aut placatione, vt Iudæi cumulabant sacrificia, condebant excelsa; Sic vota Monachorum

chorum facta sunt: vel cum signa vertuntur in Deos,
vt Persæ ignem sacrificii fingebant esse ipsum Deum.

X X I X.

Ceterum prodest, narrationes verè scriptas de
Sanctis, & quidem continuam Ecclesiæ historiã omni-
bus notam esse, & sæpe multumq; cogitari: Primum,
vt discamus, quomodo se Deus patefecerit, & per quos
tradiderit doctrinam, & quæ doctrina, quo ordine, qui-
bus testimoniis tradita sit. Deinde, vt gratias agamus
Deo, quòd se patefecit, quòd perpetuò colligit Ecclesi-
am, quòd excitauit doctores & custodes doctrinæ,
quòd suam præsentiam in Ecclesia ostendit mirandis li-
berationibus, quòd pulcerrimarum virtutum exempla
proposuit. Videndum etiam, quid quisq; docuerit,
quomodo inuocatione sua & cõfessione nos confirmet.
Pro his donis agenda sunt Deo gratiæ: & petendum à
Deo, vt nos quoq; sic regat & iuuet, & confirmentur in
nobis fides, spes, tolerantia, illorum doctrinã & exem-
plis. Imitemur & diligentiam eorum in sua quisq; vo-
catione, & in regendis moribus. Laudetur & in ipsis
hæc cura, quòd non furenter effuderunt dona Dei, sed
Deo eos gubernanti adsensi sunt, & tanquam obse-
quentes remiges labore suo cursum à Deo incitatum
adiuuerunt.

Forma precatationis ex Siracide collecta.


Κύριε Πάτερ, καὶ θεὸς ζωῆς μου μὴ ἐγκαταλίπῃς με ἐν βελῆ τῶν
ἐχθρῶν ἐμῶν, καὶ μὴ ἀφῆς με πεσεῖν ἐν αὐτοῖς. Μετεωρισμὸν
ὀφθαλμῶν μὴ μοι δῷς, καὶ ψυχὴν γιγαντώδη ἀπόσησον διαπαν-
τός ἀπὸ δόξης σου. Ἐλπίδας κενὰς καὶ ἐπιθυμίας ἀπόσρεψον ἀπὸ
ἐμοῦ, καὶ κρατήσεις τὸν θέλοντά σοι δαλέυειν διαπαντός. Κοιλίας
ἔρεξις καὶ συνχσιασμός μὴ καταλαβέτωσάν με, καὶ ψυχὴ ἀ-
ναιδῆ μὴ παραδῷς με τὸν οἰκέτην σε. Ἀλλὰ κατεύθυναι τὰς ὁδοὺς
μου δέσποτα ἐν τοῖς λογίοις σου, ἵνα μὴ κυριεύσῃ ἐν ἐμοὶ πᾶσα ἡ
ἀσέβεια, καὶ ἀσελγεία, καὶ ἀδικία. ἀμήν.



Fa 1388,
80

Ink.

[Faint blue ink scribble]



14
VTATIO.
LOCATIO
A IAM OLIM
PRÆCEPTORE,
ELANCHTHONE.
M. D. XLIX,

ITERATA IN
VESTANO ILLVSTRI,
AMLINGO, Eccle-
sius pastore.

iele Syluio, Seruestano.
Maii. hora VII.



M. D. LXXXIX.
ura Faber excudebat

14